

Petrus de Vinea

*Ep. III 42 (Inter nos iam
sufficit uerbis agi...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 42 (Inter nos iam
sufficit uerbis agi...)*

settembre 1237

In hac epistola concludit dominus Capuanus et consolatur eum, laudando eum de dictamine.

1. Inter nos iam sufficit uerbis agi: «Petrus sit Iacobi et Iacobus Petri»; immo sic sit utriusque alteruter, ut, prospera dum contigerint, quasi plena promptuaria eructuent ex hoc in illud et inter unum et reliquum uerus amor diuidatur per semissem. 2. Super hiis hactenus lusit inuicem calamus, sed lira dulcisona iuuenis psallere senem fecit, per quod patris discussit rudia filii docta manus. 3. Sint igitur haec inter nos, quasi terram cordis presciderit uerbi uomer ad cultum, semenque sparserit affectus ad fructum, ut herba deinceps coalescat in segetem et in culmo spica proficiat, ut granescat. 4. Fiet autem hoc, si partus conceptum exerat: suscipiat formam materia et circa nos si quis esurit, spicam quam produximus colligat, qua fruatur. 5. An non sic habet scriptura, «Qui frumentum abscondit, maledicetur in populis»? 6. Absit ergo, quod Petrus et Iacobus, ut, frumentum fauoris et operis cum alteri expedit, alter obtegit sub aristis, quae sunt detractionum aculei et mendacii punctiones. 7. Stillent ergo montes dulcedinem, quasi tales fecerit nos Deus in nostris, quia lac et mel colles fluent, si de nobis, quos caro proximat, carnis debitus uigor alat. 8. Salua tamen fide per omnia, ne quid uoluntatis pereat, ne quid de iussis pretereat Dominantis, contra quem si quis impetit, mundi et sanguinis necessitudo pellatur pro Deo. 9. Fili, quia Deo seruias, nullus apud te, qui meus es, scribatur extraneus. 10. Nec patrem dedigneris iudicem, si quis meum iudicem offendat. 11. Eorum super hiis inquam R. organum ad filium debuit esse patris.